

Q 241

Handwritten text on a strip of paper at the bottom edge, possibly a library label or title, featuring black characters and red vertical lines.



DECANUS
 COLLEGII PHILOSOPHICI
 IN
 ACADEMIA LIPSIE NSI
 Professorum
suae Facultatis
 Lectiones Publicas
 significat.

PP. Dominicâ Rogationum
d. 8. Maii Anno M DCLXX.



Cùm ante hos quinque annos Facultatis nostræ Professorum lectiones indicerentur, disputatum est aliquid aduersus *Edmundi Dickinsoni Oratiunculam pro Philosophiâ liberandâ*, quæ Delphis ejus Phœnicizantibus Oxoniæ A. 1655. vulgatis ad- juncta legitur. Nunc eadem nos invitat occasio, ut aliquid opponamus *Tractui Theologico-politico* similis argumenti, Hamburgi, si titulo credimus, excuso, nec ita pridem ad nos, (musteum enim opus est, hoc ipso videlicet anno editum,) allatum, quo nescio quis lucifuga scriptor ostendere conatur, *libertatem philosophandi non tantum salvâ Pietate, & Reip. pace posse concedi, sed eandem, nisi cum pace Reip. ipsâq. Pietate tolli non posse.* Par scopus utriq. fuit auctori, ut opinandi, novisq. orbem dogmatibus inundandi maximam si adherent licentiam. Hoc interest, quòd Pandoram suam Dickinsonus quidem in Philosophorum Scholas tantum, alter ille potiùs in Sacraia Theologorum introducere laboravit. Quamquam enim & hic, si titulum inspicias, non aliam libertatem profitetur, quàm *philosophandi*: res ipsa tamèn loquitur, omnium *religionum* infinitam licentiam hoc eum nomine occuluisse, sive quòd erubesceret infame, portentum in ipsâ statim libri facie denudare; sive quòd sui rationes delirii sic instituisset, ut quas nos vocamus controversias fidei, ipse non ad fidem, sed ad philosophiam referret. Nimirum *fidei* vocabulum ad solam obedientiam, (h. e. si eventum rimeris, ad externam in humano foro honestè vivendi disciplinam,) arctavit; ex adverso *philosophiæ* laciniam ad omnem veritatem, (etiam sine quâ placere DEO nos posse negant orthodoxi,) extendit a). Eâ re factum ut illius philosophicæ libertatis exemplum laudaret in urbe Amstælodamensi, in quâ omnes, inquit b), *cujuscunq. nationis & secte homines summâ cum concordia vivunt, -- & nulla omnino tam odiosa secta est, seu sectariis, (modo neminem ledant, & suum unicuiq. tribuant, honesteq. vivant), publicâ Magistratuum auctoritate & presidio non protegantur.* Scire sic opinor, licet, quænam illa sit Reip. quam in præfatione c) prædicans, rarè quæ felicitati imputans, quòd in eâ sibi vivere contigisset, eam esse ait, ubi unicuiq. judicandi libertas integra concedatur.

In

a) Cap. XIV. cùm p. 162. asseruisset, *fidem non tam requirere Seræ, quàm pia dogmata*, postea p. 165. 166. hæc profert: *Philosophia scopus nihil est præter Seritatem; Fides autem -- nihil præter obedientiam & pietatem. -- Fides igitur summam antiquo libertatem ad philosophandum concedit, ut quisquid sciet, de rebus quibuscunq. sine scelere sentire possit.*

b) c. ult. p. 232.

c) * 3.

In hac tamen tantâ felicitate tam infelix ipse fuit, ut nominis eum sui puduerit: nempe hominem religionis illius, quæ sectas omnes & natus in huc usq; diem & nasci possibiles, dummodò sit in generalissimis quibusdam, iisq; paucis capitibus d) consensio, æquè probans patentem Atheismo portam aperit. Naturalismum appellare solemus: cujus Rudimenta vel Institutiones, bonam partem è pestilentissimis duorum nostri seculi Novatorum principiis confutas & interpolatas qui librum illum nominet, fortasse rem ipsam dicat. Cum enim totius operis duas partes e) animo concepisset Autor, quarum altera Libertinismum illum veræ fidei seu religioni, altera paci Reip. consentaneum esse defenderet: prior Theologiam Edoardi Baronis Herberti, posterior Politicam Thomæ Hobbesii sapit. Neq; nihil Præadamitæ Peyrerio debere videtur f). In eo autem propriam sibi patitur insaniam, quòd ne DEO quidem Prophetis loquenti plura vult infallibiliter credi oportere, (horrescit hæc scribens calamus,) quàm quæ de substantiâ sint revelationis ac sine g), nempe quòd in cæteris non tam veritati se DEUS, quàm opinionibus Prophetarum, quæ falsæ non rarò fuerint, accommodaverit h). Verùm de hac profanitate proferre plura non est hujus instituti, præsertim

)(2 cum

d) Quinque articuli Edoardi Herberti, Naturalistarum hujus ævi Patriarchæ, noti sunt è cap. ejus I. de Relig. Gentil. p. 2. & è p. 268. seqq. de Veritate. Noster verò Anonymus fundamentalia fidei catholicae dogmata nulla præter hæc 7. agnoscit c. XIV. p. 163. 1. Deum existere. 2. eum esse unicum. 3. omnia ipse parere. 4. ipsum in omnia supremum habere jus. 5. cultum Dei ejusque obedientiam in solâ justitiâ & charitate, scilicet amore ergà proximum consistere. 6. omnes, qui hæc sciendâ ratione Deo obediunt, saldos tantum esse; reliquos autem, qui sub imperio voluptatum & sunt, perditos. 7. Deum penitentibus peccata condonare. Postea sic disserit: Ceterum quid Deus sit, an scilicet sit ignis, spiritus, lux, cogitatio &c. id nihil ad fidem: -- nihil etiam ad fidem, si quis credat, quòd Deus - res dirigit ex libertate, vel necessitate naturæ; - quòd homo ex arbitrii libertate, vel ex necessitate divini decreti DEO obediat. --

e) Insinuat has partes titulus quodammodò, dum Pietatem à Reip. pace distinguit. Clariùs eam indicant verba præfationis ** 1. Postquam his libertatem &c. inchoatur autem pars altera à c. XVI.

f) Intelliges, ubi quæ Anonymus noster c. II. p. 22. 23. de Sole temporibus Josuæ stante, de umbrâ in horologio Achas retrogradâ, de Noachi diluvio disserit, compones cum Systemate Præadamitæ Theologico lib. IV. c. 4. 5. & 7.

g) ea verò quàm artus limitibus includat, vel hoc lemma docebit cap. XIII. Ostenditur, scripturam non nisi simplicissima docere, nec aliud præter obedientiam intendere, nec de Divinâ naturâ aliud dicere, quàm quòd homines certâ sciendâ ratione imitari possunt.

h) cap. II. p. 28. Satis superque, ubi postea Kainum quoque Prophetis annumerat.

cum honoratissimum hactenus Collegam nostrum FRID. RAP-^s
POLTUM, summæ Virum eruditionis ac sapientiæ cognoverim
in eonunc esse, ut Naturalismi totius everfionem argumentum
faciat habendæ propediem orationis, quæ Theologicam Professio-
nem, (quod felix faustumq; sit!) auspicietur. Id agebamus tantum,
ut Anonymi ratiunculas, quæ sepositæ etiam hypothesei naturalisticæ
insanam quidvis in quocunqve disciplina genere novandi licentiam
colorant, vocaremus ad examen. Eas ipse servavit vigesimo sui Tra-
ctatûs, h. e. ultimo capiti, quo, ut habet lemma, ostenditur, in liberâ Rep.
unicuiq; ^q sentire quæ velit, ^q quæ sentiat, dicere licere.

Observamus initio, tametsi libertatem istiusmodi non tam Re-
gis aut optimatum statui, quàm Democratico regimini, (hoc enim
ipsi est *Resp. libera*,) convenire innuit i): (nec diffitear, populari
formæ cum illâ Naturalismi Babele maximam intercedere sympa-
thiam;) argumenta ejustam præcipua tam esse generalia, ut in
quavislibet Reip. speciem, si quid valent, æquævaleant: illud inprimis, à
quo caput orditur, de impossibili. Nam si quid impossibile est, non
minus in eo ludet operam Rex Monarcha, quàm Populus liber.

Jam in fine capitis ipse quidem in sex puncta, quicquid hic dix-
rat, colligit: sed instituto nostro, quibus à spacio chartæ lex præscribi-
tur, forsan & analysi, cujus ipse non exquisitissimus fuit artifex, me-
lius consuletur, si rem omnem ad tria revocemus. Sic enim est:
primò impossibile putat, libertatem isthanc hominibus adimere k); dein-
de quosdam ipsi tamen limites ponit l); tandem objectioni, quæ liber-
tatem ex incommodis reprehendit, satisfacere conatur m). In sin-
gulis ea tantum, quæ videbuntur eminere, perstringemus.

De primo hæc ejus verba excerpo: *Nemo jus suum naturale,*
sive facultatem suam liberè ratiocinandi -- in alium transferre, neg. ad id
cogi potest. Hinc ergo fit, -- ut summa majestus injuriam subditis face-
re -- videatur, quando unicuiq; præscribere vult, quid tanquam verum am-
plecti, & tanquam falsum rejicere -- debeat; hæc enim uniuscujusq; juris sunt,
quo nemo, etsi velit, cedere potest -- n]. -- Si itaq; -- unusquisq; maximo
natura jure dominus suarum cogitationum est, sequitur, in Rep. nun-
quam nisi admodum infelici successu tentari posse, ut homines quævis diver-
sa & contraria sentientes, nihil tamen nisi ex præscripto summarum potesta-
tum

i) vide p. 225. in fin. & conf. p. 231. item præfat. * 3.

k) ab initio capitis p. 225.

l) p. 226. §. Verum omniverò nequaquam.

m) p. 229. §. Equidem fateor,

n) p. 225.

rum loquantur : nam nec peritissimi , ne dicam plebem, tacere sciunt o).
Hic assentior, imperio civili nihil esse potestatis in cogitatis internis
quã tales, quanquam hujus rei causam non satis explanatè tradit.
Anonymus. Sed cave cum ipso p) ab his internis actibus ad il-
los loquendi, aut signis alijs cogitata mentis edendi, externos argu-
menteris. Nam hos id ipsum, quod externi simul & liberi sunt, ob-
noxios imperio facit. Imò verò, inquit noster, non sunt liberi.
Quis enim tacere potest ? Sanè tui similes, Anonyme, tacere non
possunt. Nam si potuisses, non quævisisses typographum. Sed
vide, amabo, in hac ipsâ impotentiâ tuâ vel scintillam libertatis. Nam
bellissimè potuisti nomen tuum obticescere. Hoc autem scire te
velim, posse leges etiam impotentibus poni, si hanc impotentiam
illis pravi mores induerint. Multi non possunt furaces manûs co-
hibere : nec horum tamen contemplatione te credo furandi licentiam
introducendam cupere.

Progredior ad membrum alterum. In quo rectè quidem hoc
pronuncias q), (pergam enim te alloqui,) perniciosissimum esse, libertatem
omnino, h. e. nullis circumscriptam terminis, concedere. Sed ter-
mini tui parum sanæ Politicæ fundamentis, quæ excutere hic non
licet, superstructi, partim inepti sunt, si modum reputo, partim, si ob-
jectum, laxi nimis. Ad modum hæc pertinent, cum ais r), posse ali-
quem contra summarum potestatum decretum omnino sentire, & judicare,
& consequenter etiam dicere s), modo simpliciter tantum dicat vel doceat
t), & solâ ratione, non autem dolo, irâ, odio, nec animo aliquid in Remp. ex
autoritate sui decreti introducendi defendat. Gravius eum peccare fa-
teor, qui dum recepta suæ Civitatis decreta, convellit, affectûs male-
volentia miscet : Sed sæpè magis nocet speciosis rationum coloribus
picta, quam turbulenta passionum fluctibus oratio. Rectius
opinor distinxisses inter secreta pectoris, quæ se privatim exonerant
in sinum amici taciturni, & quæ diffunduntur per plateas publicas.
Neque noxam hic effugiet illa cautio, si quis (simul suam sententiam
judicio summæ potestatis submittat u) quã in hoc opere te quoque vsum
video x). Nam qui palam disseminat venena, ut ea se maximè dicat
Medicorum censura subicere, non ideo minorem edet stragem.

Ante-

o) p. 226. p) facit hoc non tantum hic, sed & membro sequente, ubi quare
iteram f. q) p. 226. r) p. 227. s) respice ad lit. p.

t) contra decretum summarum potestatum agere vetat scriptor in præceden-
tibus ; docere hic non vetat. Quasi docere non sit agere, u) p. 227. x) in fine totius libri,

Antequam adveniat Medicus, jam turba cadaverum erit: imò genus hoc veneni tantò bibitur avidius, quantò severius vetatur. Ad objectionem ubi pervenisti, opiniones in Rep. seditiosas, eòq; minimè ferendas, eas tantùm judicas, quæ simul ac ponuntur, pactum, quo unusquisque jure agendi ex proprio suo arbitrio cessit, tollitur: e. g. si quis sentiat, summam potestatem sui juris non esse, vel neminem promissis stare debere: cæteras seditiosas esse inficiaris, nisi forte in Rep. aliqua ratione corrupta y), h. e. ut è sequentibus intelligo, quæ non unicuique, eandem philosophandi libertatem concedat, quam fides (Naturalistica tua) unicuique concedit z). Sic ergò per te nulla lex vetabit, quò minùs furiosissimus quisque, virus in religione suum evomat publicè: quæ his & ipsis nundinis de statu loco & vitâ animarum nescio cujus anonymi disquisitionis a) circumvolavit. Atqui seditiosas opiniones illas quoque, meritò censemus esse, quæ consentientes alioqui circa fidem rectè se habentem animos, cum periculo salutis æternæ discindere possunt in factiones. Ne illa quidem insuper habenda est seditio, quâ tot ac tam diversæ philosophantium vitæ discipulorum ingenia conturbant, dum, ut ait Comenius b), non in commune ædificamus, sed in partes dilapsi sua tantùm quisque communire, aliena cuniculis quibuscunq; subruere satagit.

Tu verò, ut ad tertium veniamus, hæc incommoda parvipendis, jamq; pensari vis ea ingenti commodo: nam hæc libertas, ais, apprimè necessaria est ad scientias & artes promovendum c), quæ tamen libertas longè diffidet ab illâ nobis invisâ d); jam oppositæ servitutis incommoda enumeras: sequi enim adulationem & perfidiam, ut homines quotidie aliud sentiant, aliud loquantur e); sequi schismata in Ecclesiâ f); sequi virorum honestorum, qui diversa sentiunt, & simulare nesciunt, exilia & neces g); jam Amstelodami urbis exemplo confici putas, quæ ex immani illâ tuâ libertate oriantur in commoda, solâ summæ potestatis auctoritate

y) p. 228. z) p. 229. a) impressa Disquisitio est in 12. absque loci temporisque mentione. Castigavit jam eam obiter Erasmus Francisci in præf. seines Geschichtspiegels.

b) Diatyp. Panophi, p. 58. quem & vide pag. 36. 56. meretur enim omninò contrâ Libertinos illos legi: quanquam despero fore, ut aliquando per universum orbem illa, quam friviter somniat, Panosophia regnet, quâ sublatis dissidiis (p. 32.) nemo se in Philosophiâ dices Platonicum vel Aristotelicum, in Theologiâ Lutheranum vel Calvinianum, vel Pontificium, omnes autem Philosophos & Christianos (p. 60.)

c) p. 229. d) Liberum esse nos etiam volumus nobilioribus ingeniis, inventa nova nec periculosa eruditorum judiciis modestè exponere; non liberum Bamberloni cuivis, nugas suas Scholis obtrudere. e) p. 229. f) p. 230. g) ibid.

rate civili possit). At enimverò temperata fervitus nostra neminem cogit animi sensa dissimulare, tantum vetat publicè receptis per contumaciam obniti s). Schismatum verò longè major metus est ab illà Naturalismi licentiâ, quàm ubi linguam omnium unam & cor unum esse leges jubent. De exiliis & necibus quæ dicis, ad ea respondeant Pontifici: nos illa non feriunt, qui negamus religionis ergò vim esse, cuiquam, nisi seditionis aut blasphemix flagitium accedat, inferendam. Apud Amstelodamenses civili pace sectas omnes cum hominibus frui audio, pace spirituali cum DEO frui non audio, neq; si à te audiam, credo. Lauda interim tu in urbe unâ tot sectas, Ego in Academia nostrâ laudo tot Professorum ut religionem unam, sic unam studia discipulorum promovendi cupiditatem. Cui hæc ipsorum *maxima* testimonia dicent.

h) p. 231. 232.

i) Anonymus ipse p. 227. civem suum sepe contrâ id quod bonum iudicatur, & palam sentis, agere debere pronuntiat.

MANE HORA VI. D. JOHANNES ITTIGIUS, Phys. Prof. Publ. Acad. p. t. Rector, Synopsis Physicam, quam superiore anno auspiciatus est, nondum verò propter negotia publica ad finem perduxit, quantum muneris gravitas permittet, continuabit.

HORA VIII. L. VALENTINUS ALBERTI, Dialect. Philipp. & Metaph. P. P. ex Logica diebus Lunæ & Martis, Jovis autem & Veneris ex Metaphysica, Canones non ubivis obvios nec ab aliis satis expositos seligere, eorumque 1. Autores, 2. fontem in præceptis, & 3. exempla tradere, 4. antithesin & 5. abusum refellere perget, observans scilicet, hunc laborem gratum non minùs ac utilissimum esse Studiose Juventuti.

HORA IX. M. JOHANNES RÜSH / Prof. Math. continuabit & hæc æstate absolvit Doctrinam Astrologicam, cui calculum Eclipticum subjunget, præmissis Elementis Arithmeticis, logicis præsertim, ad motuum celestium supputationes necessarias: Operæ privatæ erunt occupatæ circa Operationes geodæticas, experimenta optica & observationes astronomicas.

HORA XI. M. JOACHIMUS FELLERUS, Poës. Prof. P. lectiones suas propediem, Jesu Fortunante, auspiciatus, vestigiis Plur. Rev. & Amplif. Dn. D. Frid. Rappolti, hætenus Poës. nunc Theol. P. P. celeberrimi, pro virili insistet, quin & ipse Horatium ad Philosophiam perget exigere, cumque jam duo Carminum Horatianorum libri ab Optimo Antecessore hoc genere commentandi sint, absoluti, deinceps tertium quoque & quartum pertractabit eodem mo-

do, adeoque, quæ aut Peripaton Aristotelis, aut Stoicorum porticum, aut hortum Epicuri redolebunt in illis, (Eclecticum enim Flaccum fuisse constat,) ea certis observationibus inclusa exhibebit. Et hæc quidem distabit ad calamus. Cætera verò, quæ ad Humanitatem spectabunt, monebit obiter, & quasi per discursum.

A MERIDIE HORA I. M. JAC. THOMASII, Eloq. Prof. P. & h. t. Collegii Philosophici Decanus perget in distandis illustrandisque Thematibus Oratoriis, initium facturum à Themate de Raptu Sabinarum.

HORA II. M. OTTO MENCKENIUS, Phil. Pract. Prof. P. Hugonis Grotii de jure belli ac pacis librorum succinctam per aphorismos Politicos analyfin, ipsumque adeò operis istius nucleum publicis prælectionibus exhibebit. Intra privatos verò parietes Grotiani operis textum fusius interpretabitur, ventilandumque privatis disputationibus subjiciet. Universam item Philosophiam Practicam secundum ductum Thomasianarum tabellarum iis tradet, qui ex fontibus Aristotelicis solidiorem hujus disciplinæ noticiam cupiunt haurire. Eoque absoluto vel Svetonii Augustum, eâ, quâ hæctenus Cæsarem, methodo, vel Taciti Annales *πεγαίλωτες πολυμίης* studiofis, Deo vires indulgente, explicabit.

HORA III. CHRISTIAN FRIDERICUS Græncenstein / L.L. & Histor. Prof. Publ. perget in explicandâ Historiâ Universali juxta Ideam Bunonis. Privatim Geographiam tradet, itemque Notitiam Imperii Bœcleri elucidabit.

HORA EAD. L. JOHANNES OLEARIUS, Græcæ Lingvæ Professor publicè quæ supersunt in MATTHÆO capita tredecim intermedia à XIII. ad XXV. cum fine anni finire studebit, reliquum temporis ad nundinas usque vernaes daturus enarrationi Historiæ passionis ac resurrectionis Dominicæ à LUCA descriptæ; privatim textus evangelicos festivaes ac deinde pericopas epistolares succinctis aphorismis Philologiæ Græcæ Sacræ in fervientibus illustrabit. THEOPHRASTI quoque characteres ethicos librum planè aureum explanando studiose juventuti familiarem reddet.

HORA IV. M. ANTON. GUNTH. HESHUSIUS, Aristotelici Organi Prof. Publ. enucleatis huc usque libris, qui formalem Syllogismi Analyfin in Organo spectant, eos quo fieri poterit compendio explicabit imposterum, qui Analyfin docent materialem, totiusque Logicæ & objectum continent, & finem principalem.

LITERIS COLERIANIS.

DD A 6358


ULB Halle 3
002 920 387


Sb.

Reho ✓ 1077

Handwritten text on a decorative strip with red and black patterns, including the letters 'E' and 'R'.





Herrn von ...
H ...
...
...



Atqv
negal
fuisse
ta re
9 plu
eden
s dec
adea
bui
is ali
hic e
rove
lò ce
nc ab
ane p
cis m
CI B
arum
Orna
m.
s, que
escen
iam r
cui n
n, ex
er lit
e cong
.....
nspic
ara e
x præ
ur. Pl
tario
e fe L
o sua
ogi se
I M



76

DECANUS
COLLEGII PHILOSOPHICI
IN
ACADEMIA LIPSIIENSI
Professorum
suae Facultatis
Lectiones Publicas
significat.

PP. *Dominicâ Rogationum*
d. 8. Maii Anno M DCLXX.